



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 10. An potest Baptizari infans nondum natus, vel monstrum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

cum parentibus baptizati, quæ usum Matrimonii impediret. Quæ tamen non contrahitur, si id fiat in casu necessitatis.

Q. 10. *An potest Baptizari infans nondum natus, vel monstrum?*

Resp. I. Infans in utero materno ita conclusus, ut aquâ immediatè perfundi nequeat, non est capax Baptismi: quia non potest verè ablu. Nec sufficit, si corpus matris abluatur, quia infans est persona distincta à matre ac proinde eâ ablutâ non potest censeri verè ablutus. Quòd si per fistulam aut alio artificio possit Aqua ad illum perungere, juxta varios validè baptizari potest; quia talis infans est homo viator, cui debite applicari potest materia & forma: tamen Rituale Roman. dicit generatim: *nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Resp. II. Si infans nondum perfectè natus caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit erit rebaptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod viralem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: *si non es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* ita Rituale Roman.

Resp. III. Si monstrum habeat plura capita, & plura pectora, tunc totidem sunt animæ, & homines distincti; unde singuli seorsim sunt bapti-

baptizandi. Si non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta; tunc debet primum unus absolute baptizari, & postea alter sub hac conditione: *si non es Baptizatus, ego te Baptizo*, &c. Si vero dubium sit an homo sit an brutum, baptizetur sub conditione: *si tu es homo, ego te*, &c. Monstrum autem, quod humanam speciem nullatenus præ se fert, non debet baptizari. Rituale Roman.

Q. II. *An infidelium Filii Baptizari possunt, invititis parentibus?*

Resp. I. Valide Baptizari posse constat, cum independenter à consensu parentum adesse possint omnia ad valorem Baptismi requisita, nimirum materia, forma, & debita intentio Ministri. Non enim scriptum est. *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* ait S. Aug. Ep. 23.

Resp. II. Filii Hæreticorum & Apostatarum possunt licite Baptizari invititis parentibus: quia parentes per Baptisma fiunt Ecclesie subditi, ideoque cogi possunt ad servandas eius leges, inter quas est lex deferendi in Ecclesiam liberos baptizandos. Ergo iis possunt subtrahi, ut baptizentur, & rebus fidei, cum adoleverint, instruantur. Non essent tamen subtrahendi, si ideo religio periclitaretur, dum parentes subditi sunt Principibus infidelibus;